

R.Mr. I.

65.

Theol. Qu.  
~~F~~  
941.

Hopserni Michael

R. M. Dr.  
II. 65.

Theol. C

F  
941

Spiritus ex Purgatorio  
Virgini cuidam ad Posonium  
apparens, loquens, Auxilium  
petens, ac tandem liberatus

1641. et 1642.

Vide Jäger Historia Ecclesiastica non Parallelismo Profano  
Hawburgi - folio 1703. Part. 1<sup>a</sup> pag. 849 - 850. ad Libr.  
magica opere legitur ubi et quidem contra authorem dixerit omenis  
quella haec continetur <sup>etiam</sup> libro, qui inscribi-  
tur: Bibliotheca rive acta et scripta  
Magica - quamlibet Ergoiffna cum Ltr.  
Gnrlz. you, Bls. S. C. et. P. et. V. et. V.  
vulga dicit. Magd. dicit. Trichl. in libellis  
Eiusmodi patrum Patr. quia Propterea dicitur  
Eiusmodi dicit. Magd. sive sive synomina quo  
Eberh. Dav. Hauber ob. Rieck in 3.  
Sicardus try. Joh. Heinr. Mayer 1738-1746.  
in 8<sup>o</sup>, testante hoc Indice alterum  
Suplementi secundi ad Catalogum  
Bibliotheca Széchenianae Regnicolarii  
pagina 52. ubi legere est. operam hanc  
Bibliotheca magica ex editione a 1654.  
Trajecti ad Rhen. adornata, insertam ebo.  
unde facilis conjectura: presentem ori-  
ginalem Editionem infrequentem esse.

940

# NARRATIO REI ADMIRABILIS

ad Posonium gestæ,

## De Spiritu quodam,

à 24. Julii, Anni M. DC. XL I. usque ad 29. Junii,  
Anni M. DC. XLII. ex Purgatorio cuidam Virgini appa-  
rente, loquente, auxilium petente, ac tan-  
dem liberato.

### DECERPTA

Ex Juratis Testibus, & Actis publicis, quæ asser-  
vantur in Tabulario, seu Archivo Ven. Capituli  
Posoniensis.

### EVULGATA

Auctoritate & iussu Ill:mi ac Rev:mi Domini,  
Dn. Georgii Lippai, Electi Archiepiscopi  
Strigoniensis.



### IMPRESSA POSONII,

Anno Domini  
M. D C. XLIII.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia  
manus Domini tetigit me. Job. 19. v. 21.



S. Aug. lib. de Cura pro Mortuis, cap. 4.

Non sunt pretermittenda supplicationes pro Spiritibus Mortuorum, quae facienda pro omnibus, in Christianâ & Catholîcâ societate defunctis, etiam ratiō nominibus quorumcumq., sub generali Commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt Parentes, aut Fili, aut quicunq. Congnati, vel Amici; ab unâ eis exhibeatur Matre communis.

¶ Tim. 3. v. 15. Ecclesia Dei vivi, Columna & firmamentum  
Veritatis

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

R  
2005-2006

S. S.



ILLUSTRISSIMO  
ET  
REVERENDISSIMO  
DOMINO,

D. GEORGIO LIPPAI,  
ELECTO ARCHIEPISCOPO STRI-  
gonieñ: Ejusdemq; Loci Comiti Perpetuo, Pri-  
mati Hungariæ, Legato Nato, Summo & Secre-  
tario Cancellario, ac Sacrae Cæs: Regiæ q;  
Maj:ris intimo Consilia-  
rio, &c.

**N**T ER præclara Majo-  
rum nostrorum studia, illud in pri-  
mis eximiam posteritati laudis reli-  
quit materiam, ILLUST R:me & R E-  
VEREN:me DOMINE, quod pluri-  
mum

<sup>ij</sup>  
mūm fuerint conati Illustrium Virorum res egre-  
giè gestas non solum populari plausu, alijsq; gra-  
tulantium encomiis prosequi; sed etiam , ne vel  
oblivione eorum qui tunc fuerant, vel reticentiâ  
posteriorum jacerent sepulta , perpetuis , & nun-  
quam interituris monumentis consecrare. Quam  
ob causam, ut Q. Symmachus , lib. 4. epist 34.  
notavit, *Ne facilis senecta papyri scripta corrumpat,*  
*illustria facta, quæ immortalitatis honore donare volue-*  
*runt, vel hinc mappis imprimenda, vel sericis volu-*  
*minibus infundenda, vel areis, aut cerussatis tabulis*  
*censuerunt esse incidenda.*

Et certè, si vetus , & à verà fide aliena Gen-  
tilitas in tanto pretio habuit suorum Heroum fa-  
cta , per quæ ipsis humana quædam gloria , aut  
verius gloriæ umbra fuit acquisita : non minori  
studio nobis, quibus Fidei lumen illuxit, adlabo-  
randum est & providendum, ne divina opera, qui-  
bus Deus Ter Opt. Max. & gloriæ suæ divitias  
nobis communicat, & Ecclesiam suam in terris il-  
lustrat atq; exaltat, meritis honorum monumen-  
tis priventur, & temporum decursu (ut in aliis ac-  
cidere solet) perpetuæ oblivionis tumulo conte-  
gantur.

<sup>iiij</sup>  
gantur. Ad quod nos etiam exhortatur Regius  
Psaltes, Psal. 104. *Mementote mirabilem ejus que*  
*fecit;* quinimmò quæ etiamnum hodie facit: non  
enim tantum in nascientis Ecclesiæ exordio, sed in  
ejusdem etiam adultâ ætate , *Quotidie*, ut ait S.  
Hieronymus in Psal. 76. *facit Deus mirabilia,*  
*& operatur cum Patre & Filiis, & Spiritus San-*  
*ctus;* non in alium finem , quām in adificationem  
& consummationem *Corporis Christi*, quod est Eccle-  
sia; quam quidem semel aedificavit , & fundavit  
in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo  
omnis structura compaginata crescit in *Templum Dei*,  
*Ephes. 2.* sed eadem, per continuum divinarum  
gratiarum influxum , & mirabilium operum osten-  
sionem, *& nunc*, ut ait S Ambrosius in Luc. *adfi-*  
*catur, & nunc formatur, & nunc figuratur, & nunc*  
*creatur.* nec ab adificationis opere divina ma-  
nus quiescat, donec id ad perfectionis fastigium,  
hoc est, *ad consummationem Sanctorum*, Ephes. 4.  
perducat. Hic jam videor mihi denuò, Christum  
Dominum inter medias, nō amplius Judæorū, sed  
Hæreticorum turbas audire dicentem : *Pater*  
*mensis usque modo operatur, & ego operor, Joan. 5.*  
)?( 3  
non

non tantum in Universā, & per totum orbem diffusā, sed etiam in hac particulari Posoniensium limitibus comprehensa Ecclesiā; in qua præteritis mensibus, novum ante oculos nostros, & tam illustribus divinæ præsentia signis contestatur prodiit opus, ut vix aliquid hoc perturbato sæculo, quod sit ad Catholicos in fide confirmandos accommodatius, ad veritatem Purgatorii stabilendam solidius, ad obstinatam Hæreticorum perfidiam confutandam efficacius, desiderari possit.

Quod ut ejus dignissima memoria ab interitu vindicetur, volui non linceis telis, non sericis libris, non æreis vel cerussatis tabulis inscribere; sed sub ILLUSTR:<sup>me</sup> & REV:<sup>me</sup> nominis tui protectione & tutelâ, in quodam velut immortalitatis archivo reponere.

Hoc quidē ut faciam, ILLUSTR:<sup>me</sup> & REV:<sup>me</sup> DOMINE, præter multos alios titulos, quibus jam pridem metibi devinxisti, me moverunt ipsa Posoniensis patria, tum nova Archiepiscopalis nuper in te collata dignitas; cuius felicissimæ primiæ, quæ adhuc durant, ut omnia mea alia, ita etiam

iam hoc debiti honoris obsequium à me postulare videntur.

Accipe igitur, ILLUSTR<sup>me</sup> & REV<sup>me</sup> DOMINE, hoc opus, corpore quidem exiguum; rei tamen, quam continet, dignitate magnum & ponderosum; ex quo, tamquam ex fœcunda semente, Hungaricæ Ecclesiæ ager, ut spero, copiosos aliquando Catholicæ messis proferet manipulos: Accipe, inquam, illud, tamquam singularem Ecclesiæ Posoniensis fructum: quem si benevolâ manu fueris complexus, benevolentia gratiam grato animo recognoscam. Posonii, ANNO DOMINI, 1643. ipso die S. Agathæ Virg: & Martyris.

ILLUSTR<sup>me</sup> & REV<sup>me</sup> VESTRA CELSIT<sup>me</sup>

Humillimus servus,

MICHAËL KOPCHANI,  
Electus Episcopus Sirmiensis, Praepositus Posonicus.

Appro-

Approbatio & Facultas Ill:mi D. Archiepiscopi  
Strigonensis.



O S Georgius Lippai, Electus Archi-  
episcop⁹ Ecclesiæ Metropolitanæ Strigonien. loci⁹,  
ejusdem Comes perpetuus, Primas Hungariae, Le-  
gatus Natus, Summus & Secretarius Cancellarius,  
ac Sacrae Cœl: R:q, Maj:is intimus Consiliarius, &c.  
Damus ad notitiam, quibus expedit universis: Narrationem rei  
admirabilis ad Posonium gestæ, seu Apparitionis animæ Joannis  
Clementis, à Prædecessore nostro piæ recordationis, Ill:mo ac  
Rever:mo Domino Emerico Losi, Archiepiscopo Strigonien-  
si, &c. factâ inquisitione, institutoq; Judiciali processu, diligen-  
ter examinatam, usque ad pronuntiationem Sententiaæ definitivæ,  
exclusivè, quam, morte præventus ferre non potuit; Deinceps  
etiam, plurium gravissimorum Theologorum judicio submissam,  
& unanimi voto approbatam: Nos quoq; autoritate nostrâ ad-  
mittimus, approbamus, ac typis mandari concedimus; Ad lau-  
dem & gloriam D E I Omnipotentis, & exaltationem Sanctæ  
Matris Ecclesiæ. In Aulâ nostrâ Archiepiscopali, Posonii, 4.<sup>ta</sup>  
Januarii, A N N O 1643.

Georgius Lippai,

Electus Archiepisc: Strigonensis.

Succin.

• 55 • ( 1. ) • 55 •

Succincta, & candida rei totius  
narratio.

C A P U T P R I M U M.

Locus præcipuarum apparitionum, Quis  
Spiritus, & Cui maximè apparuerit.

Fundamentum hoc sit totius historia, & quod statim  
à Lectore queris olet, Vbi? Quis? Cui?

OSONIUM, Urbs est in Hunga-  
ria celebris, ad Danubium, decem milliaribus  
Viennâ distans. Ea in Urbe vixit vir quidam,  
natione Germanus, nomine JOANNES CLE-  
MENS, cui à vulgo agnomen Gwspenpauer/  
per jocum adjectum fuerat. fuit is tamen ci-  
vis honestus, & Judicis officio perfunctus in  
eos, qui ad Arcem (quæ extra Urbem est) pertinent: quo in Su-  
burbio habitabat ipse. Annis quinquagintaquatuo circiter Lu-  
theranam hæresim sectatus, vitam vixit parvum admodum lauda-  
tam. Septem annis ante mortem Christianè obitam, cum fide  
Catholicâ, quam erat amplexus, ita simul mores immutavit; ut  
& in templo frequens, nec raro in lacrymas & gemitus effundi,  
vitamq; pio & Christiano homine dignam ducere, & sexagenario  
major, finire visus sit. Atque is ipse est, de quo nunc agimus.  
Nam id ipsum disertè apparens fassus est; cāquè formâ ferè visen-  
dum

dum se exhibuit; eā voce loquens, quā satis compertum est eam, cūm in vivis ageret, conspectum, & auditum fuisse; & pro evidenti indicio est Manus illa, Cistæ, Afferi, & duobus linteis inusta; quæ suo loco commemorabimus.

Porrò, et si facile centies apparuerit, alijsq; nonnunquam visus & auditus sit: uni tamen semper ac præcipue, Reginæ Fischerin aderat, cuius unius ope ac operâ se juvandum sapè ipse Spiritus protestatus est; D E O scilicet, cuius secreta sunt consilia, ita volente.

Fuit Puella illa ex honestis civibus oriunda, oppido Halstad, sex milliaribus ultra Gimundam Superioris Austriae Civitatem. Pater Sebastianus, Mater Magdalena dicta, sat commodè vitam sustentant: cūm Ferdinandus Secundus piissimus Imperator, partium illarum rebelles ad officium, germanamq; Fidem reduceret; eā occasione usi, Fidem Catholicam suscepérunt, quam hodieq; constanter, & piè profitentur. Ii igitur, adhuc filiam teneram educáreunt Catholicè, unāque ejusdem Sororem natu minorem. Annū circiter agebat decimum nonum, cūm primū à Spiritu vexari cœpit. Agit nunc vigesimum; prudentiâ, pro sexu & aetate, singulari; modestiâ animi corporisque, quam non modo Catholicî, sed Acatholici etiam commendant; pietatem Domestici, aliquique facile nōrunt: Egregiam verò ipsius in Fide constantiam, satis probant ea, quæ in decursu historiæ narrabuntur.

## C A P U T   S E C U N D U M.

*Ubi primū Spiritus vexare, videri, loqui cœperit, quāmve ob causam.*



Ix mense integro vivere inter mortales desierat Joannes CLEMENS, cūm vigesima nonā Julii, Anno 1641. Reginam virginem, de qua diximus, Halstadiensem, in ipso Halstadii Oppido, atque adeo in domo paternâ, inter horam noctis undecimam & duodecimam, infestare aggreditur: lecticam jacentis primū ter pulsat, mox Puellæ jam non dormienti visendum se exhibit. Erat habitus, vestis candida ad talos defluens, corporis forma scilicet. attoritatem aliquamdiu adstitit in silentio; tūm disparuit. Interea Virginis Mater terra, mulier Lutherana, Halstadio è domo parentum, neptem Reginam Posonij, ubi jā Soror erat, esse optabat; in speciem, ad domesticum famulitium; reverà (ut postea non obscurè cognitum est,) ut à Catholica Religione ad Lutheranos errores traduceret. Ibat jam Regina post Sororē, secundo Danubio Posonium: cūm ecce in navi ad Stein, quod littori adjectet, iterum Spiritus comparet, cādem, quā priùs noctis horâ, eodem habitu, eodem silentio. Terrebant jam satis frequentia Spectra Virginis animum; à quibus infestationibus, & tunc, & semper deinceps, modis omnibns studuit liberari. Quare ad Divinam opem implorandam conversa, Voto sancte se obstringit, in Virginis D E I Matris honorem, per reliquam vitam, singulis diebus Sabbatinis, strictiori jejunio à cibis calidis abstenturam; præterea quotidie, priusquam ad nocturnam quietem concederet, certas preces persoluturam. Nec sic tamen importunus Spiritus quievit. Vix illa Posonium appulerat, cūm sursum ille solito crebriūs, bis inter hebdomadam laccifere cœpit. Erat Domus illa ampla sane & magnifica, in Suburbio, ab Arce non procul; quam Domum sibi recenter Illius D. Comes Paulus Palfi ab Erdöd exstruxerat. Tenuerunt hic permolestæ Apparitiones, menses aliquot, usque ad Christi Natalem, & in posterum esse et.

iam cœperunt molestiores. Nam paulò pōst, ad Cœlarii fores se offert, in eamq; ruit, quasi amplexurus: quæres ita Virginem conturbavit, ut per tres hebdomadas ægrè jacuerit. Igitur jam confilii inops, Sacerdotem quendam Religiosum, ex Ordine S. Francisci strictioris Observantiae adit. Suadet ille, ut redeunti Spiritui occlamet illud ex Psalmis: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Paret illa; & proximâ nocte redeunti, versiculum illum opponit. Nec mora, reponit ille: *Et ego illum laudo.* Atque hoc loquendi initium extitit, simulq; colloquendi. Igitur spe liberationis audacior facta, interrogat, quid de se vellet; se aliósve minimè defuturos; rem tandem ipsam expromeret? Tum ille, cùm jam fas esset, clarè & distinctè, sine ambage rem omnem, ut erat, voce blandiens exponit: *Filia mea* (his enim verbis vernaculè usus est) *per amorem D E I te rogo, ut Uxorem meam adcas, que tibi ducentos florenos pendat, eò quòd ea pecunia, summa sit Sanguinis.* Addit præterea, se, dum adhuc in vivis esset, vovisse D e o Imaginem B. Virginis Dolorosæ; id est, Filium è Crucē depositum, sinu gestantis, in primario Urbis Templo locandam: tria insuper Sacra, duodecim Cereos, & Eleemosynam aliquam pauperibus erogandam. Hæc scilicet causa erat, ob quam inquietus ille, quietam esse non sine-ret. At Virgo, sive quòd sibi imponi metueret, sive quòd intricatum esse negotium videretur; Quin tu potius, ait, ad tuam Uxorem? nam mihi quidem nihil cum eâ negotii est, aut esse ve-sim. Adhæc ille nihil; quām, non eam Uxorem esse, cui vel verbum facere vellet. moxq; evanuit. Neque tamen sic persuasa Virgo est, ut adiret. Redit igitur; iterumq; per D e u m obte-natur, rem ut maturaret. Negat illa se facturam: Nescio enim, ait, quis tu sis, aut qui voceris? *Ego*, subdit ille, **CLEMENS Zwe-spenpaues** appellor. Sed cùm illa tardaret, quòd nec domum, nec Uxorem, nec Clementem unquam nosset: paucis post die-bus, horâ noctis consuetâ, Clemens per D e u m rogat, oratque, adiret

adiret Uxorem. Hic tandem se aditaram alterâ die profitetur. Itaque, peractis in Æde majori precibus, Urbe egreditur; ubi sit Domus Clementis, quærit: eam sibi ostensam ingreditur; de-mortuiq; Uxorem, rogat in primis veniam importuni fortasse nuntii; se necessitate esse compulsam; Maritum ejus sibi singu-lis septimanis apparere, & Ducentos florenos reposcere. Mira-tur Uxor. negat se scire, ac ne audivisse quidem de eâ pecunia: non inficiari tamen, Matrem suam olim totâ domo oberrasse. domesticosq; spectro terruisse: consultiū fore, si Ecclesiasticos viros adiret. Pergit Virgo; Maritum præterea Imaginem vovi-se (quâ de superiùs diximus.) De ea Imagine, recipit Vidua se curaturam. Negat Virgo id ita fieri posse: Maritum mortuum velle pecuniam sibi pendī. Pergit altera negare se daturam; et si menti jam nescio quid occursaret, de nonnullis Imperialibus à se nescio ubi repertis. Igitur re infectâ discessum est. Ubi resciit Materteræ Maritus, æquè Lutheranus, Puellam cum Feminâ illâ egisse, graviter succensuit, vtnitq; ne pergeret: re tamen probè per ordinem cognitâ, author fuit, ut consilium à Confessario pe-titura, Collegium Societatis J E S U adiret; idemq; ut ageret, monuit vice alterâ, cùm illa de Spiritus infestatione conquerere-tur. Quare eodem die Templum adit; Confessarium è Soci-ete J E S U accersit; lacrymis suffusa rem enarrat, gravissimèq; obtestatur, ut se juvet. Ille afflictam solari, polliceri eam in rem omnia; quin-immo, aditum se Mulierem. Et verò paulò pōst adiit; statum defuncti Mariti exponit; at frustâ. Interim Spiritus se rursum sifit: petentiq; tandem quietem; *Non te, ait, deseram, donec rem confeceris, quocumq;, & quantumcumq;, fugias, inse-quar.* Pergit hic obtestari, illa promittere; hic damnare mor-am, & urgere. Neque illa interea minus ab hominibus, quām à Spiritu vexabatur, præsertim ab Acatholicis; qui ea, quæ nar-rabantur, profabulis, & næniis, & umbris infectabantur. Fuere

tamen inter eos, qui optimum, scilicet, Spiritus propulsandi re-  
medium suggererent: quod illud? Si redeunte Spiritu, ei ma-  
lediceret. Illa vehementi cupiditate quietis impulsu; & ut illa  
ætas, & sexus facile commovetur, importunum Spiritum à se ab-  
actura; Ut te centum, inquit, millia Sacra menta; apage Senex  
nebulo; & unde venisti, abscede; mecum nihil est quod agas.  
Pepulit quidem hoc fulmen Spiritum; nam, ac si tactus esset,  
statim mœstus disparuit. At rediit die altero, pœnam maledictio-  
nis repetitur. Horrendum quod sequitur. Cùm sub crepu-  
sculum vespertinum in superiore ædium partem Puella ascen-  
disset, jamque ostium claudere pararet; adfuit, obstititq; Spiritus,  
simulq; insignem colaphum infregit, eo impetu, ut illa caput sibi  
diffringi arbitraretur. Ac ne somnium fuisse putes, impressa alte  
alapæ vestigia inhæserunt: Nam ex naribus, & ore, tam copio-  
sus cruor profluxit, ut non modò facies, & manus; sed uestes  
quoque cruentatæ apparuerint paulò post domesticis: è quibus  
tres luculentí Testes, juramento testati sunt, eum sanguinem fo-  
dum odorem exhalasse, qualis è mortuorum tabidis cadaveribus  
solet. addit unus, cùm digitis cruentum attigisset, biduo totò  
eum se fœtorem sensisse. vulnus tamen nullum in Virginis cor-  
pore apparuit. Fuisse gravissimam percussionem, ex eo liquet,  
quod statim ac percussa descendit, causamq; fusi sanguinis postu-  
lantibus enarravit, à sensibus alienata, ac exanimæ similis, in diem  
sequentem jaev erit. Exinde secutæ Apparitiones crebræ, & ter-  
ribilamenta Spiritus, jam monentis, ne quid mali metueret; jam  
gravius obtestantis, ne dultius tergiversaretur; jam minantis, se  
alioquin semper inquietaturum, quod videret se diutissime lui-  
turum, nisi ipsa juvaret.

**C A P U T***ad Posonium gestæ.***C A P U T   T E R T I U M.**

**Visa lumina, & nonnulla alia, quæ cōdem  
pertinent.**



B I R R A T vigeſimā tertīā Aprilis, Anno Mille-  
ſimo ſexcentesimo, annis abhinc duobus circiter  
& quadraginta, ILLUSTRISSIMUS D. Comes Nicolaus  
Pálfi, vir rerum bellicarum laude, atque zelo Re-  
ligionis Catholicæ præftans; qui licet, uti vixerat,  
ita piè exceſſiflet: de ipſius tamen in alterâ vitâ ſtatū nildum con-  
ſtabat. Prodigio ſimile habitum ab iis, qui Aulam Palfianam re-  
cens inſtructam incolebant, id quod ſubjungo. Superioris anni  
mense Februario, noctu, poſt diem Cinerum, ipſius Statua ſcīte  
elaborata, de mensâ, ſupra quam locata fuerat, per occultam vim  
crepta, atque in medium cubiculum projecta, ab Hospite poſteā  
deprehensa eſt: deſiderata tamen particula capitis, quæ licet stu-  
diosè quæſita, nuſquam tamen comparuit. Inverſæ quoque ſel-  
lae. neque hujus casūs author deprehendi poterat. Deinde Sab-  
bato poſt diem Cinerum, inter undecimam & duodecimam no-  
ctis, in ſecunda contignatione Domus Palfianæ, ex omnibus cubi-  
culis, clarissima Lumina apparuerunt Vigilibus Civitatis; qui  
oculati testes, idipſum poſteā juramento confirmarunt. Eā de  
re admonitus Hospes, sancte affirmavit penes ſe claves cubiculo-  
rum fuisse, potuisseq; lumina accendere è ſuis neminem. Qua-  
re ſuſpicio fuit, Domum maligno aliquo genio, non Puellam ſo-  
lum infestari. Atque hinc occasio Puellæ, cur ex redeunte po-  
ſteā Spiritu ſcīſcitaretur, Malusne aliquis Dæmon turbaret? Ne-  
gavit ille; addiditque, Animam quampiam die Cinctum è Pur-  
gatorii pœnis fuisse liberatam. cumque quereretur, an nosſet?  
diſcretè dixit, Eſt Parens Domini Pálfi: ejusq; rei fuisse prænuntium,

Statua

Statuæ ipius casum, particulæ subductionem, sellarumque eveniōnem, indicium verò liberationis, præclaræ illæ Luminæ, quæ per noctem in cubiculis arfissent. Movit curiositas Juniores Comitem, Nicolai piè defuncti ex Stephano filio Nepotem, ut de statu D. Matris suæ vitâ jam functa, per Puellam à Spiritu inquireret: Responsi id tulit: Eo loco esse, quem promoverat; Purgatorio parum detentam, divino conspectu nunc frui. Res illæ, ipsum quoque Ill. <sup>mum</sup> D. Comitem Paulum Pálfi permoverunt, ut Puellam ad se accerseret. qui ex illâ, cùm omnia distincte enarrasset, rei totius ab initio gestæ seriem didicit; moxque Imaginem Dolorosæ Virginis, suis sumtibus curaturum adpromisit; modò ex Spiritu quæreret, eâ an re, eoque modo contentus foret; simulque ex eo resciret, quam ob causam ei alapam illam inflaxisset. Interim Oeconomum confessum mittit, qui Statuarium aeat, operi faciendo admoveat. Hic, cùm eo die nullam materiam aptam reperisset, alterâ luce cogitabundè & anxiè inquieti, repente adstat in bivio quodam Senex, bacillo innitens, canis capillis, incurvo dorso, vestitu, ore planè simili, quo postea intellexit Clementem fuisse. Cumque percontaretur amicâ compellatione, Amice, cur, & quorsum pergi? Jussu Ill. <sup>mi</sup> Comitis, ait Statuarius, Tiliam quæro, Statuæ formandæ Virginis dolorosæ: verum, vel ob parvitatem, vel ob humorem nimium, nulla operi quadrat. Tum Senex: Perge Amice mi, ad dexteram partem hujus convallis Tiliam reperies, quatuor ab hinc annis recisam, operi tuopercommodam. Paret Artifex; & eo loco, quo alter ostenderat Arborem reperit. id ei magis mirum, novumque accidit, quòd, et si sibi per eam vallem iter faceret, nunquam eam Tiliam comprehendisset. Itaque latus domum revertitur. at ecce, in hospitio comparet rursus Senex ille, eo vultu, reliquaq; formâ, quâ prius Arborem designarat. Tum Statuarius ad socium, qui ei tum fortè aderat; En, ait, ille ipse, qui sollicitè lignum ad opus invitiganti,

litiganti, neque reperienti, demonstravit: Falso, ne ingrato beneficium contulerit. Ad hæc alter; Atqui, subjecit, Senem hunc, ex illo corporis habitu, judicarem Clementem esse ipsissimum, nisi scirem ipsum vivis excessisse. quæ cùm iste diceret, Clemens ille Senex abscessit. Clementem autem Statuarius nec antè visiderat unquam, nec Statuæ facienda causam, unde illum agnosceret, audiverat. Pauci portò dies effluxerant, redit Spiritus, deq; rebus duabus, quas Comes scire optārat, respondit: Primum, eam sic percussam, quòd in causa maledicta prorupisset. idque quasi inculcando repetiit; Divinæ scilicet se Justitiæ administrum & vindicem adfuisse. Ad Statuam quod attineret, non alieno ære, sed Defuncti rebus, quæ superessent, confici oportere: siquidem pretium istud esset Sanguinis, ut ante significarat; quòd nimurum eo pretio ductus, hominem aliquando, quem non nominarat, interemisset. addidit, se suumque flagitium sacrâ quidem Confessione eluisse, verum, quòd à Confessario minorem criminem pœnam accepisset, luere se etiam nunc gravissimas pœnas, atque exsolvi eas oportere.

## C A P U T Q U A R T U M.

Indicia data, & relicta signa tum doloris, quo Spiritus cruciabatur, tum quibus Spiritum bonum se esse comprobaret.





A C T E N U S ferè blando vultu & ore Spiritus comparuit, & locutus est; neque quantum ipse cruciaretur; vel, bonusne esset, an malus, satis declaravit: nunc in eo est totus, ut se è bonis Spiritibus esse, gravissimè tamen torqueri demonstret: sive quia jam id importuniūs efflagitatur; sive ut

tergversationem, omnemque cunctationem rescindat. Igitur ingressus est turbulentior, praesentia gravior; aspectus ipse, qui non modo conturbet Puellam, sed nonnunquam clinguem efficiat, & propè exanimet; modo catenas secum trahere, modo ardere, modo strepitus edre januarum vehementiores, modo profundos gemitus & ejulatus à multis exaudiri. Ex hoc genere, quædam illustriora prosequamur. E famulis Aulæ, nonnemo author fuerat Puella; ut, cum Spiritus præsentem se sisteret, eum apprehendere, & tenere conaretur. Conatur illa; sed nihil comprehendit præter auram, & umbras inanes. Quare illusionem verita, Spiritum rogat, ut si bonus sit, minimo se dito attingeret. Attigit in dextro brachio; & Puella profectò sensit. Nam pustula ex eo attactu statim ebulliit, eo doloris sensu, ac si pars illa arderet; mansaque macula ad rei fidem, eamque videbunt domestici. Porro, ne Cacodæmonis putaretur hoc factum; paucis inde diebus Spiritum urget, ut si bonus sit, Signum sanctæ Crucis efformet: En, ait ille, quod postulas; simulque cum eo dito, Arculæ ligneæ, & superimposito mantili, Crucem flammam, & dexteram manum luculenter alteque inurit, inustamque abiens relinquit aliis quoque spectandam. (✚) Neque tamen contenta Puella, quod res esset testatior, Signum aliud efflagitavit; prius tamen Literas ei tradit, à R.º D. Episcopo Syrmensi, & Præposito Posoniensi scriptas, atque obsignatas; quibus nonnulla, explorandæ veritatis studio, Puellæ nesciente, petebantur. Ad Literas respondet Spiritus: Se literas legere non didicisse; tamen ore tenus se iis satisfacturum: Literasque apprehendit tribus prioribus digitis, ardantis proculdubio manus; nam eas attractu flammæo perforavit. (✚) Ad Literarum argumentum, sic respondet: Cædis à se patratæ (quod crimen maestus iterum commemorabat) pecuniam aliquam adhuc extare (idque revera compertum est,)



Signum 2.<sup>m</sup> ab eodem Spiritu Literis inustum:  
unà cum 4.<sup>o</sup> Signo , Cruce videlicet urceolo impressâ.





¶ Signum I.<sup>m</sup> Manus, cum signo  
Puellæ apparente,

Crucis appressæ, à Spiritu  
relictum.



† Signum 3.<sup>m</sup> Manus, iterum impressæ' ab  
eodem Spiritu.

erit,) partem verò alteram in usus domesticos expensam; ideoq;  
ex ipsiusmet rebus esse repræsentandam. Adhuc tamen Puella  
miserum fatigat petendo. Luculentum erat in Cista, & priori  
superimposito mantili, gravis cruciatus argumentum: tamen, ut  
fides esset indubitata, postulat jam, ut in assere quopiam (erant  
enim illic plures,) eandem Manus, pœnarumque effigiem impri-  
meret. Paret Spiritus, Afferemque arreptum humi prosternit,  
& mantile è manu Virginis acceptum superponit: tum utrique,  
telæ & ligno, rursus Manum dexteram, appressa fortiter palmâ, al-  
tè inurendo, ut priùs, imprimit: *En*, ait, *etiam alterum Signum.*   
Tantà autem vi impressit, ut flamma in Virginem, & Sororem,  
parietemque oppositum exsilioerit: unde illa deliquium passa.  
neque Soror modò rem, cùm ageretur, audivit; sed domestici  
postea, in Lino & Assere manum inustam, oculis ipsi suis spectâ-  
runt: neque ipsi modò, sed infiniti propè homines, qui utrumq;  
Mantile, Cistam, Arculam, Afferem, Literas inustas, non tantum  
oculis, sed manibus ipsis tractârunt. Res ista sanè mira: Primò,  
quòd Crux, & Manus dextera ita exactè, & aptè repræsententur, ut  
nihil extra figuram exorbitet; cùm tamen Linum & Lignum, fa-  
cile conceptum ignem, aut ustulationem ulteriùs proferant: hic  
autem omnia ad unguem quadrent. Accedit, quòd Manus dex-  
tera, Clementis mortui manum dexteram ita dextrè referat, ac si  
ipsissima manus esset. Illi enim vivo adhuc & spiranti, pars sum-  
ma digiti Indicis, propter morbum, quem Vermem Medici ap-  
pellant, truncata à Chirurgo fuerat; quod idem hic expressum  
videas. Nihil illustrius relinqui potuit; adeò, ut hæc signa vel  
ab obstinatis veritatem extorquere debeant; & merito postea  
Spiritus, plura signa potentibus, plura edere recusârit.

## C A P U T Q U I N T U M.

Comparat se ad discessum, ac tandem quiescit.

**A**M eò deducta res erat, ut brevi exitus aliquis expectandus videretur. Quare, voluit Archiepiscopus, ut aliquot Sacerdotes, noctu (quo tempore Spiritus suo more comparebat) juxta Puellæ cubiculum advigilarent, attenderentque ad singula. Inter eos, quatuor Religiosi erant diversorum Ordinum; quintus, Sacerdos è Veneribili Capitulo Strigonensi, plures præterea alii. Hi dum vigiles excubant, horâ undecimâ, ex vehementi januæ pulsatione intelligent Spiritum ad Virginem intrasse. Ergo limen subeunt, & ingrediuntur; adhibitâ simul adjuratione, ut loquatur. At ille Virgini privatum significat, sibi non licere ipsi aliis præsentibus loqui.

Puella, ingressis locum demonstrat ubi Spiritus esset; ac, ne præsentem dubitent, ille ipse Spiritus Aquâ benedictâ, quæ præstò erat, eos aspergit. & verò aquam sibi affundi sentiunt. Deinde horâ duodecimâ, cum reliquâ lustrali aquâ, sedes, humumque aspersisset, ipsi Vasculo luteo Crucem introrsum, non procul à labio, efformat: *En, inquit, aliud signum, ex quo me bonum Spiritum esse credas.* tum mœrens, quod per aliorum præsentiam plura fari ei nefas esset, ignito similis evanuit. abiens autem, ingenti cum fragore, Vasculum Aquâ benedicta planè vacuum, terræ allisit. *Quo ex casu, pars testæ superior modice fracta est:* atq; ita factum, ut Signum Crucis, junctis loco partibus, impressum videre licuerit; quod nemo antè adverterat. Rogatus postea, cur tanto impetu allisisset? Respondit, cā causâ, ut significaret vehementiam doloris, quo cruciabatur; eodemque spectasse, Ignem, quo ardere viſus abscesserat. quamquam addebat, eum Ignem, si cum

Damna-

Damnatorum pœnis componatur, non tam ardente ignem, quam subfrigidum corem videri posse. Sacerdotibus verò, licet adjurantibus, nihil responsi tunc se dedisse dixit; quod à dextris ipsi perpetuò adstaret Angelus, à cuius nutu & imperio, in rebus agendis, dicendi que dependeret.

Erat in Puellæ cubiculo Altariolum, pietatis causâ erectum; in eo Cereus benedictus, & Christi Crucifixi effigies; juxtâ autem, D E I Matris, Filium è Cruce depositum gestantis, Statua, ad justam magnitudinem egregiè jam elaborata: Item, in crumenâ Ducentorum florenorum summa, partim ex duodecim repertis Imperialibus, partim ex nonnullis demortui bonis confecta. Eam Statuam sibi bene placere Spiritus Puellæ afferit; monetq; postea, ut die Veneris inscienti, è lecto, in quo fractis viribus jaciebat, surgeret, Statuamque in Ædem sacram deferri curaret; simulq; noctem, quæ diem illum præcederet, fore ei gravem prænuntiat. Occubuerat jam dies vigesimus sextus Junii; nocte præcedente S. Ladislai Regis Hungariae festum, redeunt ad noctis vigilias partim Sacerdotes, partim Sæculares, numero circiter octodecim; apertis Cubicelli, in quo Virgo jacebat, foribus, præstolantur: cum ecce repente horâ undecimâ fragor, strepitusq; exaudiiri, non absimilis illi, quem tormentarii pulveres edunt, dum incenduntur. Nemo omnium, qui aderant, dubitabat Spiritum adventasse. Igitur intrò subeunt. At Virgo rogat, tantisper abscedant, usquedum à Spiritu quædam sciscentaretur. Illis jam digressis, primò omnium, Effigiem Christi crucifixi, sacræ reliquiis perbellè ornatam, quam ejus loci Moniales, eam in rem concesserant, offert Spiritui; rogatque, ut reverentiae causâ exoscularetur. Exosculatus est, & quidem majori religione quam petebatur; tertio enim osculum fixit; simulq; Effigiem ipsam abstulit, detulitque ad Statuam Virginis Dolorosæ; atque intra Christi brachium dextrum, latusque vulnere fossum, aptè, decenterque

collocavit: præterea Stolam, quam capiti Puellæ, ipsâ nesciente Sacerdos supposuerat, surripit, cåque ornat eandem Statuam, & æqualiter hinc inde collo adaptat: denique Cereum benedicatum ex Altariolo acceptum, in Christi pede dextero, ubi vulnus hiat, aptè componit. Magis aut piè, aut appositè, nemo Effigiem quampiam exornaret. Eodem tempore, oblatæ sunt à Puella Spiritui literæ, ex conceptâ piissimæ prectionis formulâ, Sanctorumq; interpositâ intercessione, pro communi bono Imperii, Imperatoris, & Catholicæ Religionis. iis Literis inclusa erat sacra Cera, quam nos Agnum D e i vocamus, simulque sanctissima nomina, J E S U S M A R I A : Eas sibi traditas accepit, secumque abstulit. Interrogatus (quod caput erat) de Pecunia ducentorum florenorum (quæ præstò erat in loco,) quid cå agi vellet? Disertè respondit; Impendi debere: duodecim quidem Imperiales, in Eleemosynas; partem aliquam, in solutionem Statuæ, Missatum, Cereorum: de reliquâ, ipsa suo arbitratu disposeret. Etsi Signa jam edita sæpius fuissent: tamen, quòd multi necdum ei fidem haberent, propè importuna alterum depositit. Spiritus negat sibi jam plus concedi: addit tamen, ipsis à D e o signum datum iri. Paulo pòst, Confessarii sui nomine iterum urget. Tum Spiritus; O Deus meus! quām multa signa à me exigitis; hoc tempore plura non possum. quia tamen durum videri poterat, adjurantibus Sacerdotibus nihil respondisse; addit, se velle suo tempore loqui cum Religiosis, quod paulò pòst fecit. Adhac Puellam monet, ut bono, seculoque sit animo: fore, ut die Sabbati (præsens dies Jovis erat,) non amplius horrificâ specie, sed niveæ columba instar ei appareat. Cum hæc in Cubicello Puellæ tractarentur, foris Sacerdotes expectabant. Tum rursù ingredi aggrediuntur, sacris candelis lucentibus: & ecce, in oculos statim incurrit lignea illa Matris D e i Dolorosæ effigies, eo cultu, quem suprà diximus, à Spiritu exornata, Stolâ, Imagine Chil-



Signum 5.º est Statua, ab eodem Sp-  
itu ut fiat perfita, & postea ornata; ac tandem ad  
Templum solemniter delata.

Linea hæc lateralis octies sumta, facit justam altitudinem hujus  
Imaginis B. M. V. Dolorosæ.

ne Christi crucifixi, Cereo. Novitatem rei tantisper mirati, attonitis similes loco tantisper cedunt. Mox audiunt Spiritum loquentem, & quidem eo vocis sono, quo vivens utebatur; ut nonnulli, qui vivum loqui saepius audierant, testati sunt. Tum in articulatam, claramq; vocem hanc erupit, iis, qui aderant, audentibus: *O DEUS meus, Dominus meus! tu es meum solatum, & mea fortitudo, meum refugium, & spes mea: jam tandem ingredior aeternam beatitudinem;* aliasq; ejus generis preces, suspirando, sublacrymandoque subjecit. Tum Sacerdotes, quasi choro altero illud accinunt: Omnis Spiritus laudet Dominum. Respondeat ille: *Ita & ego quoq.* Pergunt illi precari pro Defunctis, solempne illud: Requiem aeternam dona ei Domine: Miserere ei Domine: Parce ei Domine. Respondet Spiritus ternâ vice: *Amen, Amen, Amen.* Sacerdotum unus, Puellæ Confessarius è Soc: JESU, adjurando Spiritum obtestatur, ut iterum manifestum aliquod signum efformet, & imprimat. At ille: *Nimis multa signa petitis; nonne satis multa dedi?* Cum objiceret Sacerdos, Adversariorum causâ id peti, qui credere necdum vellent; subiunxit Spiritus: *Si credere heretici nolunt, DEUS aliquando dabit illis Signum. Qui credere vult, credat. DEUS est meus testis. DEUS est, qui dat signa. Nonne in Collegio habetis sufficientia signa?* (erant enim in Collegio tunc Affer, & Mantilia, manu illius inusta.) *Plura signa edere DEUS me prohibet.* Edidit ad extremū, inter alia, lacrimosam hanç vocem: *O quanta tormenta sum passus!* Tenuit hoc colloquium Spiritus cum his, qui foris adstabant, dimidiam ferè horam. Audaciores facti, ingressum tentant: prohibet Spiritus; terroremq; minatur, si pergent: *Ago, ait, maximas gratias illis, qui cumq; ad hanc rem me juverunt: recipient à DEO, & à me mercedem.* Tentant iterum ingressum: iterum deterret Spiritus: *Nemo huc ante duodecimam.* Ergo redeunt ad preces. Interim audiunt intus, Pecuniâ ducentorum florenorum (quam crumenâ inclusam,

&amp; pe-

& penes Statuam fuisse diximus, ) arculam, supra quam erant, ter veliementer tundi; & inter Sorores, Reginam & Magdalenam, projici. Quarū prior, per duas horas sensu omni abalienata persistit; altera, ita perterrita est, ut à ratione etiam aberraret. Statim ac hora duodecima sonuit, quia ad illud tempus ingressus fuerat prohibitus; rogat Sacerdos, Licerētne jam ingredi? Respondit: *Ita Domine.* Secutus est dies Veneris, quem inducendæ Statuæ Spiritus indexerat.

Surgit manè Puella è lecto, defectis licet viribus. Statua in Ædem sacram ex consensu Archiepiscopi devehitur: Sacrum solemne pro Defunctis decantatur: Votivæ Missæ peraguntur: accendantur Cerei: distribuuntur Eleemosyna, maximâ populi frequentiâ, & animorum motu.

Jam dies Sabbatinus, id est, quietis, à Spiritu indictus, aderat (is autem erat Vigesimus octavus mensis Junii:) conve- nerant Sacerdotes, aliquæ frequentes, facile viginti; cùm sub meridiem, Spiritus, uti prædixerat, instar Columbae candidissimæ comparet; ejusque redditus, indicio fuit mensulæ commotio, quam præsentes adverterunt. Matrona, Puellæ Spiritum in Columbae forma adesse protestanti, tres fracti panis particulas, in honorem sanctissimæ Trinitatis porrigit; ut ipsa Spiritui apparenti offerret. Ille partem aliquam à Virgine sumi, aliquam ab adstantibus libari jubet. Tum mandat, ut mensulam emundet, locumque paret. Id dum Puella studiosè agit; rem miram! beata Virgo cùm quatuor Angelis apparet in clarissimâ luce, quâ intuentis Puellæ oculos perstringebat. Jubet Spiritus; ut Puella manus in primis Cælorum Reginæ, tum adstantibus Angelis porrigit; idemque faciant ceteri, venerationis (ut opinor) causa. Neque Cælites hoc reverentia genus sunt designati: Puella enim nisi sunt manus quoque suas admovisse. Interim sonat diei hora duodecima: Spiritus mox avolaturus, duo Puellam monet. Pri-

mùm,

mùm; Ad Literas posteriores sibi traditas, Angelum aliquem die Jovis sequenti responsurum. Alterum; Fore, ut idem Angelus duas personas nominet, quibus pedes osculari debeat; sive (quod suspicor) retinendæ animi demissionis causâ, sive arcano quodam Numinis confilio. Hic tandem, quasi consecro totius rei, ob quam venerat, negotio, triumphanti similis; *Ecce, ait, isti Angeli me accersunt, ut inducant in eternam beatitudinem.* Nec plura. Spectabat abeuntem Puella. Præibat Cælorum Imperatrix; sequebantur quatuor Angeli habitu candido, Clementisq; Animam in specie columbae per fenestram in celum efferebant. Neque ex eo tempore ulli postea apparuit; cùm antè toutes Reginæ, Sorori semel, semel alteri Feminae visendum se dedisset. Atque hic tandem actionis satis funestæ lœtissima catastrophe, exitusque felicissimus extitit.

## C A P U T   U L T I M U M.

Quædam subsecuta.



**I**GNIFICARAT Anima Clementis in celum evolatura, fore, ut die post suum illum abscessum septimo, ad mediæ noctis duodecimam, adveniret Angelus, qui quædam nuntiaret. Igitur quartâ die Julii, quatuor Religiosi cum pluribus aliis, dum noctu inter precandum præstolantur: ecce, circa medianam duodecimam, Angelus specie supra mortalem majore, in candidissimo habitu, ad Altarioli dexterum latus Puellæ apparet; cùm præsentia sua signum, bis Altariolum pulsando, trudendoque, cunctis advertentibus, dedit. Ex eodem loco præterea Iconem Christi è cruce pendentis, in membranulâ expressam, spectante Puellâ, ad Sacra quinque Vulnera exosculatur:

C

mandat-

mandatque per eandem, ut ceteri, qui aderant, venerabundi idem ficerent. Puellæ vero etiam mandat, ut Sacerdotibus, non item reliquis, manum ipsam piè exoscularetur. Tum duo illa, quæ Anima discedens ab Angelo, responsum iri significârat, eidem Puellæ exponit: Primò, illos duos nominat, quibus pedes exosculari suo tempore deberet; & quos hic nominari nihil necesse est. Deinde ad Literas, quibus pro Catholicâ Religione, Imperio, Imperatore, singularia quædam petebantur, & quarum rerum responsum importuniùs urgebat, respondit: *Deus tentans non est; faciet quod rectum est cum Cæsare Majestate.* Petitum autem fuerat à Confessario, ut alterum, distinctum à motu mensulæ, manifestiusque præsentia sua argumentum relinqueret. Erant in eo Altariolo Scatulæ quinque, sacris reliquiis referatae, inter ardentes Cereos, sacrasque nonnullas Icones ordine quodam locatae: Angelus, acceptum nescio unde album lapillum, Puellâ vidente, in Scatulam, quæ in superiore loco locata erat, ad fundum usque patitur, capsulamque claudit; *Et hoc, inquit, signum erit meæ præsen.* Præterea Corollam, ut sit, è rosis contextam, è clavo manus dexteræ Christi Crucifixi pendulam, cum acceptisset, eidem Scatulæ circumponit; simulq; piam quandam Iconem ex mensulâ acceptam, concinnè adaptat: idq; totum agit, iis, qui aderant, facile, non personam, rem tamen videntibus. Nam aliquo spatio per aërem delata Corona oculos feriebat, & aures strepitus aliquis imponentis, qui facile percipi posset. Post quatuor circiter horas, rebus omnibus confessis, Confessarius parare discessum, Scatulas Reliquiarum, quas secum attulerat, thecæ imponere, reportare, & valedicere cœpit: Tum Regina, quæ ex molestâ fatigatione, de quâ mox dicemus, ad quietem se composuerat, repente excusso somno; Et quò te, ait, proripis, mi Pater? Aufers quidpiam, quod ad me pertinet. Negat ille. Illa constanter, vehementerq; asseverat. Evolvuntur Scatulæ in quin-

in quintâ albus ille lapillus, quem Angelus in signum præsentia sua imposuerat, invenitur. inspiciunt omnes, tractant, stupent. Cum primùm Lapillus ab Angelo in Scatulam imponeretur, hora tunc erat noctis ferè duodecima; Tum Angelus: *Nihil quidem post hac molestia experiere; per mensum tamen, & tres dies, infirma eris; post convalesces.* Mox Virgo, momento temporis in profundissimam extasis abripitur. Nullus iam motus, nullus sensus. vix ex venæ & cordis palpitatione, tenues vitæ reliquæ deprehenduntur, attonitis omnibus. Horam unam is raptus tenuit. Tum illa subito, veluti è lethargo excitata, atque evigilans; horrida, prodigiosa, & mira se interim vidisse ostenta narrat, quæ postmodum prolixius explicuit. Longum esset singula percensere: & pleraq; iis conformia sunt, quæ divinitus pluribus olim ostensa in conscriptis historiis legimus. E multis paucula, quæ nonnihil singularia videntur, simplici, & candido stylo, ut Puella sine fuso enarrabat, hîc perstringemus. Visâ sibi fuerat ab Angelo manu dexterâ deduci in Campum, longè lateque parentem, atque ipsâ solitudine horridum: ibi voraginem profundam, verè infernalem conspexit, in qua varii variis suppliciis ignium afficiebantur. Erat flamma subnigra, & subflava, sulphurea, picca, foetorem exhalans. Nonnulli capacibus cacabis coquebantur. aderant enim illic Ollæ plurimæ, ex quibus sulphur, pixq; ebulliebat, hominum dominatorū plenæ. ex iis nonnulli, instar candentis ferri ignescabant. Dæmones ex ahenis extrahebant fontes illas animas; sursumque eductas, rursum præcipitabant. Innumeri in mediis ignibus sese volutabant, cum neque surgere, neque omnino quiescere valerent. Plurimi per aures, & fauces eructabant flaminarum globos; pars immensa utriusque sexus, libidinum, ut Angelus referebat, rea, & damnata jacebat; ex quorum lectis flamma vehemens exundabat. Aliqui Libros tenebant manibus, & inter legendum ardebat; alii vero Literas, Pecuniarum saccos calcando, vociferandoque: O pecuniæ

nia sanguinea! Cetera omitto. Posthac, Ignem quoque Purgatorium eodem raptu, monstrante eodem Angelo, vidi, longè Inferorum pœnâmitiorem. Qui isthic erant, manibus protensis, precantium more, auxilium implorabant, dolorisque sui indicia proferebant. Nonnulli solo digito, pede, manu, aliâve corporis parte ardebat, gemebant; alii flammis toti immersi: quæ pars flammis circumsesta erat, nigerrima; quæ pars flammæ erat expers, candidissima apparebat. Deniq; in Cælum mente abrepta, conspicere sibi visa est innumerabilem Angelorum, & Sanctorum inter cantus suavissimos lætantium multitudinem: quos inter, Animam Clementis, monstrante Angelo non iam in columba, sed in hominis candidissimi specie, ante thronum D E I flectentem, aspexit. Tantâ luce circumfulsere omnia, ut intueri vix posset. Tum illa; Orent etiam pro nobis. Respondit Angelus: *Omnino orabo pro vobis.* Post eam extasim tam admirabilem, quod Angelus prædixerat, per mensem omnino & tres dies infirma decubuit. Quibus exactis, repente convaluit; & libera ab omni infestatione, usque modo probè vivit.



## PROCESSUS JUDICIALIS,

Legitimè observatus in hujus Causæ Inquisitione.

*A*NNO 1642. Die 12. Mensis Julii, Authoritate & jussu Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, Domini Emerici Losi, Archiepiscopi Ecclesiae Metropolitane Strigoniensis, &c. in Curia Praepositure Posoniensis, ad Inquisitionem & Examen Testium, tamquam principalis Praeses

Praes, sed sit Admodum Reverendus D. Benedictus Kisdi, Praepositus Major Venerabilis Capituli Ecclesie Strigonensis, predicti Illustris Domini Archiepiscopi in Spiritualibus Vicarius, Causarumq; Auditor Generalis. cui deinceps Propraes suspectus est, Reverens Dominus, D. Michael Kopchani Episcopus Syrmensis, Praepositus Posoniensis, Sacrae Cas: & Regie Majestatis Consiliarius. Confederunt Admodum Reverendi Domini, Dn. Matthias Senkoviczi, Praepositus Orodienensis, & S. Stephani Protomartyris de Castro Strigonensi: ac deinceps ejus loco, A. R. D. Georgius Szelepczéni, Abbas de Földvár, Cantor; itemq; A. R. D. Stephanus Mihályi, Abbas Péchwaradiens: Custos; ambo Canonici Ecclesie Strigonensis: R. D. Blasius Szentkereszti, Custos; R. D. Jacobus Janichovicius, & R. D. Henricus Fabricius, Canonici Ven: Capituli Collegiate Ecclesie Posoniensis. A Quartâ Sessione, & deinceps, adfuit loco A. R. D. Georgii Szelepczéni, A. R. Dn. Thomas Bielavius, Abbas SS. Trinitatis de Soklyos. In qua eadem Sessione, loco R. D. Henrici Fabricii, sedit R. D. Georgius Schvella, Canonicus Posoniensis.

Coram hoc Tribunal, comparuit Nobilis Nicolaus Majlad de Székheli, substitutus Fiscalis Strigonensis specialiter pro hac Causa. Is ex Juris formula, institut instantissime, quatenus ad Mandatum Ill. mi ac Reverendissimi D.D. Archiepiscopi Strigonensis Compulsorium, nominatos, & in scriptis notatos Testes, Seculares quidem, ad sancta D E I Evangelia jurare; Ecclesiasticos verò, ad Conscientia ipsorum puritatem examinari; ac tandem super Articulis & punctis interrogatoriis distictè, juxta formam authenticam redigi, pro fide publica Reverendissimus D. Praes ex debito officiis procuraret. Fuit autem haec forma Juramenti:

*E*go N. N. Juro per D E I vivum, Gloriosissimam Virginem Mariam, omnes Sanctos & Electos D E I; quod in omnibus & singulis rebus, factis, ac negotiis, super quibus interrogatus fuero, & de quibus veram, realem, & directam notitiam habeo, rectum, fidele, & sincerum perhibeo Veritati Testimonium, remoto

notio omni humano interesse. Sic me Deus adjuvet, & haec sancta Deus Evangelia.

**P**orrò ad hanc Fiscale instantiam; statim inchoatum est legitimum, facile Triginta duorum Testium, Examen; ac deinceps per Sessiones sex, à die 12. Iuli, usq; ad 24. ejusdem Mensis, continuatum. Sententia vero, ex legitima Testium contestatione, juridice lata, Die 25. Mensis Iuli, Anno 1642.

### Testes Jurati, eo ordine quo examinati sunt.

- I. Joannes Grosser, *Hospes in Aula Palfiana*, annorum circiter 48. Professionis Lutherana.
- II. R. P. Andreas Pestvármegyei, *Societatis JESU Sacerdos*, annorum circiter 50.
- III. Stephanus Heiligen, *Vigil Civitatis*, annorum circiter 42. Lutherana professionis.
- IV. Nobilis Joannes Hubasius, annorum circiter 28.
- V. Rosina primi Testis uxor, mater era Regina, cui Spiritus apparuit, circiter 28. annorum, Lutherana professionis.
- VI. A. R. D. Georgius Szelepcshéni, *Abbas de Földvár, Cantor & Canonicus Ver: Capituli Strigonien*, annorum 38.
- VII. Wolfgangus Schlifflinger, *Vigil Civitatis*, annorum circiter 27. Lutherana professionis.
- VIII. Michaël Hopffer, *Officialis in Aula Palfiana*, annorum 26. circiter.
- IX. Rosina Hopfferin, *Vidua*, annorum 34. circiter.
- X. Nobilis Adolescens, Stephanus Bornemiszsa, annorum 15.
- XI. Thomas Vlrich, *Studioſus Rhetorices*, annorum 21. circiter.
- XII. Joannes Gulielmus Braun, *Figulus in Aula Ill.mi D. Comitis Pauli Palfi*, annorum 31. circiter.
- XIII. Stephanus Grobner, *Cucus ejusdem Comitis*, annorum circiter 24.
- XIV. Laurentius Katz, *alter Figulus ejusdem D. Comitis*, annorum circiter 24.
- XV. Stephanus Richter, annorum circiter 25. Lutherana professionis.
- XVI. Nob. D. Sophia Szilva, *Uxor Egregii D. Emerici Ordodi*, annorum circiter 27.

- XVII. Dorothea Krisanich, *Vidua*, 63. annorum circiter.
- XVIII. Ursula Szalai, *Vidua*, annorum circiter 45.
- XIX. Anna, *filia Georgii Peltram*, annorum circiter 17.
- X X. Magdalena, *filia Martini Svicz*, annorum circiter 30.
- X XI. Tobias Venceslaus Axamithek, *Sculptor*, annorum 28.
- X XII. Nob: Iuvenis Petrus Persich, *Studioſus Rhetor*, annorum 17.
- X XIII. Joannes Uhrevich, *eiusdem Schola Studioſus*, annorum circiter 22.
- X XIV. Christophorus Svisi, *item Rhetor*, annorum circiter 19.
- X XV. Honesta Virgo Magdalena Fischerin, *Virginis*, cui apparuit Spiritus, soror, annorum circiter 17.
- X XVI. R. P. F. Basilius Bureſs, *Ordinis S. Francisci Striēl. Observ. Professus ex Conventu Posoniensi*, *Lector Philosophia*.
- X XVII. Religiosus Frater Didacus, *Laicus*, *eiusdem Ordinis cuius precedens*.
- X XVIII. R. P. Hieronymus Gladich, *Societ. JESU Sacerdos*, annorum circiter 42.
- X XIX. R. P. Antonius Nagy, *Ordinis S. Francisci Professus*, *Sacerdos*.
- X XX. R. D. Georgius Neusovinus, *Capellanus Posoniensis*, annorum circiter 40.
- X XXXI. Regina Fischerin, honesta Virgo, cui Spiritus apparuit, & qua totam rei seriem jurata deposita, annorum circiter 20.
- X XXXII. Georgius Scheibele, *Statuarium*, annorum circiter 36.

